

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**XLIX.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XLIX.

Jhs.

*Erasmo Roterodamo Natalis Beda S.*

**M**ulta de scriptis tuis, amantissime in Christo frater & ordine compresbyter, à viris doctis referri & variè annis superioribus audiens legere & ego nonnulla tandem per oculum statim & effeci, propter quæ (fateor) animæ tuæ non parum timui, quam ex operibus tam præclaris naturæ dotibus cernebam esse donataæ & proinde crebro in gravi concessu me dixisse memini : Erasmus divinum habet ingenium & raram ad enunciandum, quæ vult, peritiam, quam rarissimam vero sermonis elegantiam. Comperi siquidem tua studia in compluribus, (quantum sub DEI timore conjicere licebat) male solida ex origine & aliis quibusdam providentia DEI, (ut existimo) minus publicatis scriptoribus sequi dogmata, relictis firmis & per Ecclesiam catholicam probatis Doctorib⁹, quorum sententias, quod adhuc explanationibus pro concordia & intelligentia faciliori opus haberent, Gratianus, Lombardus & nostri, quos scholasticos vocamus, (& qui revera ecclesiæ senectentis necessarii erant ætati) digesserunt, nec id existimare casu factum quis debet, quod novo & humiliori stilo fuerint usi, quasi hoc tempori tribuens DEI Sanctus Spiritus, qui non unifarum pro quolibet tempore suam dirigit ecclesiam, ita factum voluit : dolui itaque pro te super his frater. Si enim à placitis Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii & subsequentium sanctorum Doctorum, quos (certo tene) inconcussæ sunt secuti Guilielmus Alticiodorensis Halens. Thomas, Bonaventura & cœteri probati hujus scholæ Magistri in illis, quæ proximè divinum jus attingunt, nec obstat in quibusdam nondum resolutis & nequaquam (ut citra formidinem etiam nunc cognoscantur) necessariis dissident, tuus non diffensisset intellectus, mirum ornatibus stilus placuisse. Quando autem, ut dicitur, jaœta est alea, nesciatque vox missa reverti, per immensam DEI bonitatem te, frater, precor, pauperis Bedæ consilium eo accipe spiritu, quo posteaquam ita, ut ad me prior scriberes, permisit Dominus tibi spero re-scribere, eo quidem animæ tuæ (cujus toto corde salutem cupio) quod sentio, liberius dicam, quo testaris, te velle per omnem modum informari & de libris tuis tolli, quicquid inest vel erroris vel offendiculi, adesseque semper tibi libros edituro Bedam &c. In Domino enim confido, è re tua factum esse, ut quum urgente sumpremo senatu in Paraphrasi Evangelii Lucæ signaveram (quod me moverent hæc levis illa magis) ad teme inscio fuere transmissa. Igitur audias, Domine frater, quæso & DEO te mecum humilia. Primum non vacat periculi suspicione, quod continue aliorum ut poetæ incumbitis utilitati, novos sine intermissione libros scribendo, ecclesiæ non necessarios. Vix certè (ut conjecturo tibi) cedit per tui spiritus recollecti-

R 1111 2

onem

onem temet edocere, hoc est, internis meditationibus seculi hujus vanitatem appendere & futuri jocundam delibare stabilitatem, attendendum quippe est, quod docet Apostolus inquiens: si linguis hominum loquar &c. & si habuero omnem scientiam &c. & qui alias doces, te ipsum non doces. Dominus vero docturos docens, qui, inquit, solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines &c. scripsit proinde beatus . . . ad dulci mihi (e) parte operum 8. dicens: Ego quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere, quam docere, nam hoc admonemur etiam dicente Apostolo Jacobo: sic autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas veritatis, ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis, ubi potius orandum est, ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo: hoc est, quorum sensum non semel repetit. Consulo hanc ob rem, à novorum quiescas librorum editione, ut te tibi reddere valeas, & DEI judiciis, quæ & tibi & mihi propter aetatem proximè instant, præpares, sat superque de mundi gloriæ es assecutus, postremam æternæ repones, si me audies, aetatem. Non prius enim inoffensa theologia differes, quam multa fueris deductus & ante Domini oculos humilia veris animam tuam, de tuo diffissus sensu. Ii autem, qui secus tibi moliuntur suadere, viderint, cujus aguntur spiritu, verbi Esaiæ memores: erunt, inquit, qui beatificantur præcipitati, & rursum: popule meus, qui te beatum dicunt. Dein animæ tuæ & ecclesiæ, nisi me fallit humanum aliquid, non modicum tribueris, statum multorum & variorum scriptorum tuorum à prioribus exorsus examen, instar patris tui, beati Augustini, exactius tecum pertraheres & quæ aut fidei aut morib: s minus consentanea doctrinæ experientia inveneris, planè rejiceres & dannares. Ad quod ut animi fortitudinem tibi compares exequendum, lego, posco, ejusdem patris tui Augustini epistolam ad Marcellum, quæ est ordine septima, nec est me judge & amice monente, ut fidas, quod viri cum sapientia tum virtute præstantes in universum opera tua (ut scribis) probaverunt, & quod plus multo videtur diplomatis summorum Pontificum. Non enim, ignoras, aliud esse amici scripta legere ad aliquem etiam honestum finem, aliud peritum, ut judicem. examinando accuratius, quæ legit, perpendere. Non enim teste Hieron. æquè inimici audiunt ut amici, qui inimicus est, nondum in scopo querit, amicus quoque prava recta judicat, quod vel te Doctorem liquet, dicas nempe ex opere tantorum virorum, qui scilicet tuas legerunt annotationes, calculis approbato, multa sustulisse, correxisse, multa, pluraque redidisse mitiora. Dico itaque zelo, quo ad tuam salutem concitor, differuisse plurima perniciose & in grave populi Christiani scandalum, utpote de Clericis celibatu, votorum monachorum, de jejunii & interdicto æsu carnium, de favorum dierum observantia, de consiliis evangelicis, de scripturis sanctis in

viii.

vulgare transferendis, de legibus humanis & horis canonicas, de fidelium divortio, de symbolis ecclesiae, aliisque similibus, non paucis. Unde tibi vehe-  
menter timeo & praesertim, quia cum viri quidem non indocti, neque stupidi  
aut elingues, complura tuorum redarguerint assertorum, ut Leus & Stunica,  
& non est simile vero, quod ubique gratis sint locuti, verum in multis, vel non  
capiro, juste & ad rem. Nusquam tamen, quod viderim, fateris, te dormitasse,  
aut non assequutum, quod oportebat, quod quam sit de culpa suspectum, sacræ  
non silent literæ. Itidem & de illis articulis, propter quos haec jam prævenit  
causa scribendi, displicet mihi, frater amantissime, eos, qui tecum agunt, me  
quoque, si quando accidit, te etiam & quoslibet in rebus maximè sacris asperi-  
us scribere, arroganter, animo suspecto aut conviciis, quæ ad rem non faciunt,  
verum potius inficiunt, quod alioquin gratius saperet, quum tamen, qui sic di-  
sceptant, veritatis defensionem sibi pure (ut opinantur) statuunt & falsitatis  
odio se se moveri purant, in oculis Domini forsan, quod præter modestiam ir-  
ruunt, facile veniam habebit, quod autem poscis, & quod in Lucæ Paraphra-  
siū actum est, in aliis consimili studio efficiam & praesertim in annotationibus  
& amico nobis communī, D. Beroaldo, cuius curam ad me conscripsit tua char-  
itas, pervenire significas, magis premenda esse, quæ fere quasi ad incerta re-  
spondens misisti, si nihil visum per te adjectum, per me foret. Omni voto vel-  
lem, daret Dominus, ut mutuo frui possemus colloquio, spero enim, tibi id  
propositurum. Annotavi tuæ charitati, confiteor, aliqua in Paraphrasibus  
Matthæi, Joannis & Epistolarum Apostolicarum, nacta occasione, quam dedit  
per pœ memoriam Delvini operam Senatus, per quæ non probbo, in annotatio-  
nibus vero nihil, quod alios per eas sumfisse viderem. Ceterum in epistola  
per me signata nihil prorsus scripsi, sed apud me pressa manent in schedulis nu-  
da, hoc est, nihil in consultationem penitus scripsi, sed neque id aggredi mi-  
hi hucusque fuerat constitutum, tantum excerpti per articulos, quæ movebant,  
quod ad te nunc transmittere infructuosum foret omnino. Ceterum si posthas  
ejusdem Domini Beraldi & amicorum consilio mihi compertum fuerit, expe-  
dire fidei negocio, ut nonnullas adjiciam probationes & ad hoc, adjuvet Domi-  
nus, facere potero, quod si divina concedat pietas, eam propono servare mode-  
stiam, quæ senem debet sacerdotem, qui DEI reformidat judicia, & operam da-  
nostris fidens consiliis tu ipse minus recte scripta retractares, maximopè tibi  
congratularemur & DEO nostro gratias (quod nos illâ parte faciliter levasset) age-  
remus. Quo autem nomine facilius adhibeas dictis fidem & certo scias, quod  
non recte scripsisti in multis, legas, velim, sermonem, qui 29. & inter eos, quos  
beatus pater Augustinus de verbis apostoli scriptit: Item & epistolam ejusdem 154.  
quæ est ad Publicolam, amicum ejus, responcionem ad quartam Hilarii questio-

nem parte operum undecima. Et denique per gratiam in collecta 22. quæstione prima plane intelliges, quam inconsulte cum Luther & Fabro Origenem sequutus es, qui homilia super Matthæum ultima mihi pag. 82. B. scripsit : omne juramentum per CHRISTUM, velut illicitum, prohibitur fuisse ; quod est manifeste erroneum & propterea in Constantiensi Concilio damnatum.

Falsus etiam plane fuisse, pietatis prætextu existimans, perutile esse ecclesiæ, scripturas sacras & cantica Canticorum & Ezechielem verti in vulgare, ceterum quod toties & tam instanter suadere fategisti, non advertens, quanta sæpius eam ob rem ecclesia animarum pericula & turbationum pertulerit incommoda, propter quæ, ne id fieret, non semel prohibuit.

Jam tuæ charitati dico, suis damnis expertus, modo Dominus Episcopus Meldensis, quidnam fructus plebs illiterata suæ Diaœcis ex Jacobi Fabri sudoribus in eo negocio collegerit. Si vero in Germania rusticis viris & mulierculis religionis incrementa in eam traductæ linguam Scripturæ contulerit, vos certius nobis nosse potestis, qua de re quod variis locis expertissimus Doctor de Gersoneo scriptum reliquerit, utinam tibi telegere complacuisset. Loca sunt parte prima operum de feriis ecclesie XI. consideratione, eadem parte de communione Laicorum sub specie numero 17. litera M, parte 3. tract. super Magnificat numero 87. litera Z, (4) numero 13. litera S, eadem parte (4) numero 46. litera g, eadem parte Gemmii, numero 66. litera I. Frater, si hunc Doctorem ceu puerilem & parvi Ducas vix pro meo ad tuam salutem desiderio propitium consequeris auxilium, illius, (dicere tibi ausim) humilis Doctoris lectio pra cunctis tibi est necessaria, ut tu tibi vilescas, eo solo medio DEO placiturus. Si autem tuo stomacho his in duobus articulis post eorum lecturam locorum remitto, utut factum sacrum judices, de ceteris puta non me gratis fuisse locuturum, sed pro eorum deductione satis posse producere testimonia. Jam pro epistolæ conclusione, quod heri de nonnullis tuorum opusculorum in confessu gravissimo propositum extitit, refero. Tui nescio, quis amans in Gallicum traduxit eloquium libellos, videlicet Encomium matrimonii, Orationem Dominicam & symbolum, si plures sunt jam non memini, versiones autem ipse ad nostram facultatem fuerunt (ut jam Lutetiae fit) presentatae, ut sciretur, si quid expediret illas imprimi nec ne. Ad id munere commissi, qui in ipsis versionibus non sana compererant, palam pro more facultatis recitaverant. Quibus auditis obstupuere omnes, tua certè non probantes dogmata. Ideo Interpretem (quem nonnulli suspicunt Eudonicum à Berquin fuisse) tibi, charissime frater, non multum suo contulisse studio, & formidandum, ne futura tibi & Fabro sit communis fors cum magistris nostris, quos à multis certum est sæpius male audire.

dire. Valedicens persevero in suplicationibus, tui Bedæ consilia, quantum commode poteris, audi precor, & bene tibi erit. Ex acuto monte Paris. 12. Calend. Iunias, 1525.

*Tui, qui ad vota paratus es,*

Bedæ.



L.

*Docto & diligent Viro, D. Nicolao Episcopio, Basiliensi  
librario, amico suo.*

S. D. Pictor Fribergius, qui mihi spopondit, se in locum Vallensis successurum, etiam spem meam fecellit, itemque Schnebergius; sed tandem quartus omnes reliquias machinas, fornaces, cortinas, instrumenta pinxit; verum non satis scire. Quare cuin senex ille Vallensis, qui pingendo ceteris longè præstat, ab hinc menses ferè tres ad me scriberet, se aliquanto acutius cernere & mihi rursus suam operam promitteret, ei præcipuum quamq; machinam denuo pingendam dedi, non sine magno impendio. Quas picturas omnes una cum cæteris libris, in turbulentissimis istis temporibus quas à militibus, quorum furor in rapinis bacchari selet, intercipi posse periculosum esset, nunc ad te mitterem, ut excuderentur. Quamprimum verò nobis placida pax data, imò ad nos divinitus delata fuerit, transmittram. Libros sex, quos acceperisti, utrum excuderis, nec ne, scire cupio, si nondum excudisti, non excudas, donec reliquos acceperis. Scalptor ubi aliquot puncta ordine fuerunt picta, lineas duxit, atque ita venarum picturas depravavit, tu si eum in figuris scalpendis nihil prorsus immutare jussieris, rectè facies. Rumor est, neminem Lipsensem ad mercatum Francofurdanum profecturum, qua de causa plura scribere non liber. Vale. Keimpnicii, XII. Cal. April. anno M D LII.

Georgius Agricola

*tus.*



LL.

Erasmo. &c.

S Alutem dicit. Venerabilis idemque charissime Pater; cum ea sit apud nos quoque dominis tui & scriptorum claritudo, ut ipse, etiam nunc homo Laicus, talibus